

ctus, et fons sanctificalis est. Quam rationem sancta Synodus Tridentina (sess. 13. cap. 7), de hac ipsa re tractans, tetigit his verbis: *Certe quo magis sanctitas, et divinitas caelestis huius Sacramenti pro Christiano comperita est; eo diligentius curare illi debet, ne absque magna reverentia; et sanctitate ad id recipiendum accedat.* Sacra notat Scriptura, quando Dei iussu ab altari prunam ignitam sumpsit unus ex seraphim; non manu, sed forcipe ab illo fuisse acceptam: qui si homo fuisset, putaremus id factum, ne manum combureret; sed cum spiritus esset angelicus, et beatus, quem ignis laedere non poterat, illam non manu, sed forcipe accepit propter reverentiam. Quare si caelestis spiritus tam reverenter accessit ad sumendum ignem altaris; clarè constat, qui non ignem, sed carnem, et sanguinem Dei accepturus est; et infra seipsum collocaturus, accedere oportere magno cum tremore, reverentia, et sanctitate. Idem quoque nos docet, quod accidit Moysi, ad rubrum ardentem, et non consumptum accedere volentis: cui dixit, qui erat in rubro Deus (Exod. 3): *Solve calcementa de pedibus tuis; siste Moyses, abstine, atque irabanus estor; si huc vis accedere, solve calcios, ut reverenter appropinques.* Si videris rubrum, veterem Christi figuram in cruce pendens, tantam iussu Dei reverentiam secum afferre iubetur; non est dubium, multo maiorem esse oportere nostram erga hoc Sacramentum, cum iam arde per illud edemmet Christo communicemus. Tertii circumstantia, et magni ponderis, atque asclamationis inter spiritualis est: *est huius fames, et Christi sanguinis aviditas;* nam sicut appetentia ciborum iuxta comedentis gustum, ac delectationem, efficitque ut alimenta stomacho insideant, et corpus melius nutriant, iuxta illud vulgare: *Quod sapit, nutrit;* ita huius cibi esus cum esurie, et illius desiderio magni est momenti dispositio, et anima hoc caelesti cibo magis delectetur, et reficiatur. Hoc dispositionis genus nos docet Christus, quando ante coenam, in qua instituit hoc sacramentum, suis dixit discipulis (Luc. 21): *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Triginta, et tres anni sunt, per quos semper fames me sollicitavit, et desiderium tenuit hunc, quem vobis praebeo angelorum panem, comedere vobiscum. Ita explicat hunc locum Hieronymus (sup. Matth.), et Tertullianus (contr. Marcion.). Verum est, ab aliis Ecclesiae Patribus ea verba intelligi de fame, seu desiderio moriendi; utque tamen sensus apte satis praedictis verbis potest accommodari: possumus enim dicere, Christum desideravisse mortem tanquam diem festum; illam vero coenam, et sui corporis communicationem, velut eiusdem festi optavisse vigiliam: vel si magis placet, dicamus, desideravisse Christum mori, Sacramento sui corporis tanquam viatico suscepto. Praeterea gratitudo animi, cum semel communicavimus, et devota gratularum actio propter tam singulare acceptum a Deo beneficium, magni momenti, atque fructus est praeparatio, ad ampliora postea in aliis corporis Domini communicationibus accipienda caelestia charismata: nihil est enim,

quod magis benefactorem nostrum Deum excitet ad nova beneficia in nos accumulanda, quam gratitudo, et memoria susceptorum. Sed in hac re tam inter laicos, quam ecclesiasticos magnam video vigere abusum; siquidem vix ab hac sacra mensa surgentes, statim ad solita studia revertuntur, nihil morati ad tractandum propriae salutis negotium tam opportuno tempore, quo suo causae iudicem intra seipsum habent hospitio susceptum: nam praeterquam est inurbanum, Deo ad te invadendum veniente, et domum tuam intrante, confestim te abire, ipso non salutato; medicorum etiam ars docet, itaque experientia confirmat, opus esse cibo refectis quiete, et negotiorum cessatione exteriorum; haec enim valde necessaria est, ut cibis stomacho adhaerescat, et sufficienter digeratur. Opus est igitur ab hac mensa surgentibus quiescere silentes, et meditates tanti Sacramenti mysterium, et cum Christo post acceptum tam caeleste alimentum paulatim conversari, ne de te dicatur, quod vulgo solet: *Nulla post dapes amicitia;* sed potius sicut externa facultates, et sensus hoc divino Sacramento fruuntur, videndo illud, odorando, et gustando; ita quoque interiores animi facultates, memoria, et intellectus, cum meditatione, ac voluntas cum affectu participes fieri dulcedinis, et suavitatis, quae in hoc Sacramento percipiuntur. Sed ut iam huic hominibus ultimum addam colophonium, reducam fidei huius in memoriam ex Tridentina Synodo indigne hoc caelesti cibo vescentes mortem sibi devorare: *Præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducati, et bibit indigne, iudicium sibi manducati, et bibit.* Idemque Paulus (1. Cor. 11) admonet, ut memores sint suppliciorum, quae Deus adversus eos, qui manna contempserunt, immissit, qui serpentibus igneis puniit, ut (Num. 21) narratur, vitam amiserunt. Quas ob res si figurae contemptum tam severam meruit poenitentiam; quis non credet multo acerbiorum futuram poenam illius, qui figuratum neglexerit, et offenderit? Si rex Baliasar templi vasa in profanos usus vertens, antequam a convivio surgeret, vidit in pariete manum sententiam mortis suae ferentem; quid fit adversus sacrilegum, et impium hominem, qui Dei carnem, et sanguinem sacratissimum profanavit? S. Anselmus explicans verba Pauli: *Ido inter vos multi imbecilles, et dormiant multi,* ait huiusmodi homines non solum in futuro, sed etiam in praesenti saeculo puniri, multosque suo tempore post pascha in poenam sacrificae communionis morbis laborantes, videoque mihi audire Christum per Hieremiam in hoc Sacramento de illis querentem, et dicentem (Hier. 31): *Comedit me, devoravit me rex Babylonis, replevit ventrem suum teneritudine mea: et quod est apud Davidem (Psal. 16):* *Suseperunt me sicut leo paratus ad praedam, sicut catulus habitans in abditis.* Prima verba Christi ita querentis diriguntur in eos, qui publici existentes peccatores huic divino Sacramento commu-

nicare audent; ideoque illos cum rege Babylonis Hieremias comparat. Posteriora verba notant peccatores occultos, qui externo habitu praesefertunt sanctitatem; interius autem sceleribus, et delictis repleti sunt, de quibus dixit Paulus (Eph. 5): *Quae autem in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere;* ob idque David comparat eos leonibus, a speluncis, et locis occultis in praedam ruentibus. Qui igitur purissimum carnem Christi manducaturus est, oportet, nisi velit Dei indignationem incurere, Christi mores imitari, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

Tractatur de huius divini Sacramenti praestantia, quatenus sacrificium est, et quae in eius ministris vitae puritas requiratur.

Inelytus Ecclesiae Pater Augustinus (libro 9. cont. Faust.) ait, nullam unquam fuisse Republicanam, etiam gentiliam, quae non usa fuerit signis aliquot sensibilibus ad suorum Deorum cultum, et venerationem: *In nullum, inquit, nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum visibilibus consortio colligantur.* Inter quae signa visibilia praecipua fuerunt sacrificia, et oblationes tam inter Ethnicos, quam inter Christianos, sicut idem Augustinus contra eundem Faustum scribens attestatur. Principio haec oblationes fiebant ex fructibus, et herbis terrae; poetaque Horatius scribit (in suis epist.), eiusmodi fructus solitos offerri Genio tutelari, nos angelum vocamus eisdem. Cumque ex his quae prima ex agris suscipiebant offerre Deo, sacerdotisque, ut Plinius (lib. 18. c. 3) scribit, primi libare solerent, primitias, et libamina prima appellabant. Post terrae fructus oblativae fuerunt species aromaticae, partim simplices, partim compositae, de quibus meminit Tibullus; et post aromata oblata sunt varii liquoris, quos vocavere libamina, et praesertim vinum, ut Poetarum princeps hoc versu innuit: *Quis non cum sacra mensa bibentibus, et in Fusaque in obscuro se vertere vina croentem?* quasi indicando magis diis placere sanguinis, quam vini oblationem. Hinc inter Gentiles variae, ac frequentes fuerunt boum, taurorum, et aliorum animalium immolationes, quibus historiatorum monumenta tam sacra, quam profana plena sunt: quae etiam de causa institutae fuerunt solennes hecatombae, quae centum boum sacrificia erant, et Romani usi sunt sacrificiis, quae vocaverunt sucovetaurilia, quoniam ex suco, ovis, et turo fiebant. Quibus sacrificiis mactata appellaverunt etiam hostias, ab hoste, quoniam illa mactare solebant, quando bellum adversus hostem inchoabatur; vel dicta sunt ab ostio, quoniam animalia ad limen, seu ad ostium templi mactabantur; appellata quoque victimae a victoria, quoniam offerebantur

pro victoria adversus hostes obtinenda; vel a vincendo: nam animalia victa ad sacrificium ducebantur. Hic autem in sacrificiis hostiarum, et victimarum usus apud gentes ita frequens, habuisse dicitur originem ab opinione, quam conceperunt, lucri cupidus, et donorum amantes Deos suos existimantes; quod et Ovidius ita testatus est:

Mavera crede mihi, placant hominesque Deosque: Placatur donis Iuppiter ipse datus.

Adeoque sacrificiorum invaluit consuetudo, ut proprios filios idolis immolarent, sicut meminit David (Psal. 105): *Immolaverunt filios suos daemonis.* Sed relicti idololatri, venturam ad eos, qui in Dei veri cultu se primi omnium exerebant, ad filios nempe Adami, quorum unus oblitus Deo agri fructus quosdam, alter sui gregis agnos pinguiores; eosque imitata est sacrificiis dedita ipsorum posteritas. Et Noe post universalem aquarum inundationem Arcae egressus, Deo sacrificavit; quod et Melchisedech, et Abraham fecerunt, ut a Moysi in Genesi memoratur; ac tandem reliqui Deo grati homines, et amici idem faciebant: nec in lege scripta minus viguit sacrificiorum usus: seminis enim taurum, vaccam rufam, caprum emissarium, aliaque animalia fuisse tunc mactata, et a Jacob vocatum Benjamin lupum rapacem, propter templum, ubi erat altare, quod plures oves, arietes, et vitulos, quam lupus, devorabat. Et quoniam sacrificium mane offerebatur, et distributio partium sacerdotibus provenientium fiebat vespere; idcirco postquam dixit (Gen. 4): *Boniam lupum rapacem, adiecit, nam comedit praedam;* et vespere dividit spolia. Anadverti etiam in regio Propheta (Ps. 38), qui lotus agit de altaribus, *Altaria Domini virtutum, habere titulum; Pro torcularibus:* cuius tituli, et inscriptionis causa fuit, quoniam quemadmodum in torculari ex calcatis racemis succus, et mustum uvarum exprimitur; sic in illo altari sanguis ab animalibus, quae illis immolabantur, defluebat; et sicut uvae, quae in torculari premuntur, et calcantur, etsi videntur nescientibus dissipari, non in deterius, sed in melius mutantur, nempe in vinum; ita quod in illo altari offerebatur, etsi pars consumebatur, et pars dabatur sacerdotibus, nihil peribat immo Deus victimas illas melioribus, et pretiosioribus rebus compensabat. Fuerunt denique haec sacrificia tam frequentis consuetudine recepta, ut usque ad Christi aetatem, narrantibus Evangelistis, columbae in templum Deo offerendae portarentur. Quamvis autem, antequam Deus populum suum a servitute Pharaonis liberaret, non praeciperet frequentia illa sacrificia sibi fieri, tamen in exitu illius mandavit Israelitis illa sibi offerri: tum propter mysticas eorum significationes; tum quod cum Aegyptiis versati sacrificiorum studiosi, illorum mores acceperant, ideoque in deserto exerceant idolatum, ut Apin Deum Aegyptiorum adorarent, sicut in constitutionibus Apostolicis narratur. Quare, ut ritus Aegyptiorum abicerent, praecipit Deus sibi vero Deo sacrificia offerri; utque deos quos

adorabant Aegyptii, falsos esse, et inanes agnoscere Israelitae, voluit quoque eadem animalia, quae ab Aegyptiis adorabantur, ab ipsis maclari, et immolari, ut illa occiderent, et in frusta secantes, condentes, et comedentes, falsum eorum numen agnoscerent: ac denique, ut omnino ritus, et mores Israelitarum caeremoniis Aegyptiarum adversarentur, prohibuit esum carniū suillarum, quoniam his Aegyptii vescabantur, indicantes, ut scribit Theodoretus, suem propter vilitatem, et immunditiam, non esse adoratione dignum, sicut cetera animalia; a quorum occisione, et esu abstinebant, propter reverentiam, qua erga illa erant affecti, ut Caietanus advertebat. Nunc ergo ad nostram intentionem, si tam in lege naturali, quam in sacratio usū viguit sacrificiorum ad recognoscendum, et protestandum Dei supremum dominium; amentia est propria haereticorum, velle nobis persuadere, Ecclesiam Christi, quae respublica est omnium ordinatissima, et quae magis floruit, et emicuit in vero cultu, et religiose veneratione Dei, carere vero sacrificio, quo illum colat, et veneretur. Nec fundamentum, quo nititur illorum error, alienius momenti est catholice sententibus, dum aiunt: si sacrificium aliquid in Ecclesia Dei offertur, iniuriam fieri sacrificio eruento, quod in cruce moriens Christus obtulit, atque inde significari, oblatam a Christo sacrificium haud satis fuisse ad Deum nobis conciliandum, et placandum, ac pro nostris culpis et satisfaciendum: nam si satis fuisset, aiunt illi, non utique egeremus alio novo sacrificio ad gratiam Dei, et peccatorum veniam obtinendam. Quam rationem nuntium verbis Apostoli in Epistola ad Hebraeos, ubi probat sacrificiorum scriptae legis imperfectionem, et imbecillitatem, quod post illa necesse fuerit sequi Christi in cruce morientis eruentum sacrificium. Unde, ut illi argumentantur: si in Ecclesia Dei aliud foret necessarium sacrificium, non sufficeret, quod Christum pro nobis immolavit. Omnia haec sunt deliramenta, et tenebrae, quae praesente luce persistere non valent: nam quamvis verissimum sit, oblatam a Christo in cruce sui ipsius sacrificium valoris fuisse infiniti, et per illud, quantum ad sufficientiam, meruisse nobis plenissimam veniam nostrarum culparum, et remissionem peccatorum, quae illis debebantur; ut tamen id sortitum effectum, necessarium est ipsam Christi mortem nobis applicari per media, quae Christus in Ecclesia sua statuit, qualia sunt ab ipso instituta sacramenta, et hoc sui corporis sacrificium inventum. Et sicut usus sacramentorum virtutū passionis Christi non derogat, sed potius illam magis reddit manifestam; sic etiam sacrificium altaris eandem non minuit, sed multo magis ostendit. Hinc etiam patere potest, quae sit vis argumenti, quo usus est Paulus ad Hebraeos, dicens, antiqua illa sacrificia non sufficere ad peccatorum remissionem, cum post illa opus fuerit Christi sacrificio, quod illi, ut sufficienter pro mundi peccatis satisfaceret, in cruce moriens obtulit; quam tamen sufficientem satisfactionem minime exhibuerunt veteris legis sacrificia. Cele-

rum contra horum blasphemiam, et errorem, praetermissis nunc pluribus aliis testimoniis, duo tantum proferam in medium perspicua, et idonea satis ad incutiendum haereticis ruborem, et silentium imponendum. Primum est Danielis, qui loquens de tempore Antichristi, dicit cessaturum in Ecclesia Dei sacrificium, intelligi quantum ad frequentiam, et palam: Cum oblatum fuerit iugo sacrificium: ergo supponit Daniel in Ecclesia fuisse sacrificium, quod ab Antichristo dicit auferendum. Alterum testimonium sumitur a Malachia, qui personam Dei gerens, ait (c. 1): In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio pura. Quae fundata veritate catholica, videlicet in Ecclesia Dei verum esse sacrificium, haud erit admodum difficile demonstrare, quantum ceteris antiquis sacrificiis, quod in Ecclesia offertur, tam quoad naturam ipsius, quam quoad effectus, praecellat. Sed praetermissis nunc excellentiam, ac dignitatem huius sacrificii ex parte rei, quae pro illud, et in illo immolatur, nam veterum sacrificia, et victimae caro, et sanguis erant animalium; in hoc autem sacrificio caro, et sanguis Dei est cum omnibus donis, quibus Christi humanitas adornatur, adducam verba Synodi Tridentinae (sess. 12. c. 3), assensalis in Synodi Tridentinae (sess. 12. c. 3), assensalis in Synodi Tridentinae, antiqua omnia compediunt; haec denique illa oblatio est, quae per varias sacrificiorum naturas, et legis tempore, similitudines figurabat, utpote, quae bona omnia per illa significat, velut illorum omnium consummatio, et perfectio complectitur. Nam si tempore legis naturalis, terrae fructus, liquores, aromata, et animalia offerbantur; in hoc Ecclesiae catholicae sacrificio immolantur species panis, et vini, praestantissimi terrae fructus; in hoc Christi sanguis, omni ambrosia, et deorum neptare pretiosior; in hoc aromaticae confectiones, non thure, styrace, et ambaro, sed illa mirabili, et supernaturali Verbi divini, et Christi humanitatis coniunctione constantes; in hoc caro, viscera, ossa, non animalium rationis expertum, sed illius, qui a conceptionis momento compos rationis, immo ipsamet ratio, et sapientia fuit. Si deum genus unquam fuit ita barbara, ut vana superstitione vivos homines immolaret, idolis, in hoc sacrificio religiose, ac sancte Christus vivus, ac gloriosus Patri sacrificatur aeterno. Quod si a lege naturae transeamus ad scriptam, invenimus hoc catholicae Ecclesiae sacrificio omnes scriptae legis victimas, et hostias includi: nam eius aetatis sacrificia ad haec tria redigebantur, holocaustum, hostiam pacificam, et hostiam pro peccato. Holocaustum fiebat ad supremam Dei maiestatem, et excellentiam protestandum; quod sacrificii genus, quia totum consumebatur, dictam fuit holocaustum, a voce graeca, *holon*, et *eumna*, id est incendium; itaque holocaustum vocatum est, quia totum combustum. Hostia pacifica offerebatur pro gratiarum actione ob beneficia suscepta. Hostia pro peccato fiebat ad Deum placandum, et satisfaciendum pro iniuriis, et peccatis, quibus Deus erat offensus. Ob quatuor causas in libro de sacrificiis dixit Porphy-

rius esse Deo sacrificandum: *Tribus de causis dicit sacrificandum, ut veneremur, ut gratiam referamus, ut necessaria ab ipsis petamus.* Relece ait, ut venerimus, sicut in holocausto; ut gratiam referamus, sicut in hostia pacifica; ut necessaria petamus; sicut in hostia pro peccato. Quae omnes sacrificiorum differentiae congregate summa cum perfectione, et eminenter in hoc omnium praestantissimo; et excellentissimo corporis, et sanguinis Christi sacrificio reperitur: in illo namque cernimus holocaustum, quod ad honorem Deo exhibendum, et sapientiam eius recognoscendum imperium fiebat: nam quanto pretiosius est munus, quod offertur, tanto maior est protestatio, et evidentior supremi domini significatio. Unde est, quod semper Deus voluit, quae sibi offerretur, esse optima, et selectissima, sicut constat ex verbis ipsius apud Malachiam (c. 1): *Si offeres cladum, et languidum, nonne malum est?* Et quoniam Abel meliora de grege suo sacrificavit, fuit eius sacrificium Deo gratissimum; fratris autem Cain, qui deteriora, invisum, et improbatum. Legimus (in *Exodo*), ad Tabernaculum in deserto extruendum, et adornandum, ubi offerenda Deo erant sacrificia, iussu fuisse Moysi, ut ab Israelitis peteret omnia, quae haberent pretiosa, ad faciendam arcam, et reliquam parandam suppellectilem cultui divino necessariam: Ex quo etiam David, qui optime Dei mores noverat, dixit (*Psal. 63*): *Holocausta medullata offerre tibi, id est, pretiosiores, et pinguiores victimas: quoniam re vera quo pretiosius est donum, quod Deo sacratur, tanto excellentior est divini imperii, et supremae celestis assertio, et protestatio.* Cum igitur in hoc divino sacrificio offeramus aeterno Patri donum omnium pretiosissimum, et excellentissimum, Filium nempe suum hominem factum, totumque accensum, et aestuantem amoris incendio, inde est, quod nunquam per aliquod sacrificium tantum honor, et quantum per hoc divinae maiestati delatus fuit, etiam in hoc nostro hostiae pacificae sacrificio summa gratitudo, et gratiarum actio, ut testatur Augustinus (*cont. advers. legis, et Prop.*), ubi ait: *Unde Deo maiores gratiae sunt agendae, quam per Christum Dominum, quod faciunt fideles in Ecclesiae sacrificio?* Et s. Hieronymus (*cont. haeret. lib. 4. c. 32*) dicit, hoc institutum esse sacrificium, *ne nos ingrati Deo esse videamur.* Ad quod iudicandum, ut legitur in Genesi, Abraham, post partem victoriam contra reges quatuor, qui regionem sociorum depraedati fuerant, donum reddenti obviam venit sacerdos Melchisedech, Deo panem, et vinum offerens pro gratiarum actione, propter eadeam ab ipso victoriam. Hoc etiam modo in Ecclesia catholica Christus summus sacerdos Melchisedech, hoc enim nomine ab eodem Davide vocatur, *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sacrificium panis, et vini Patri offert, gratias agens propter victoriam, et frequentes triumphos, quibus quotidie filios suos auget, et corroborat.* Et quoniam perpetuis existentibus beneficiis, oportet etiam gratiarum actionem esse perpetuam, modum invenit Christi sapientia per hoc sacrificium, quo illud in

cruce oblatam continuaretur usque ad saecula huius exitum; et mors eius in hoc sacrificio nobis ante oculos semper obversaretur, valeatque tam ad gratias agendas pro bonis acceptis, quam ad culparum nostrarum remissionem, et iustam debitaram compensationem. Ex quo patet, in hoc altaris divino sacrificio antiquum illud hostiae pro peccato melius, et excellentius contineri, quoniam per illud non manebat offerens purus, et modus a peccatis, sed a quibusdam irregularitatibus, et deformitatibus, ut testatur Tridentina Synodus his verbis: *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratias, et donum poenitentiae concedens, crimina, et peccata ingentia dimittit.* Hoc in loco patet in nobis iterum ostium amplum ad agendum de huius sacrificii praestantia, qua omnia quondam oblatio Deo sacrificia longissime antecedit. Pro qua re declaranda utar ingenio, et arte, quae uti sunt Iehusae, ut antiquissimi Rabbinarum referunt, qui dum a rege David in arce Sion obsiderentur, et oppugnantur, ut securi essent ab explosionibus tormentorum, et faculis hostiis exercitus, cogerebat Davidem ab incepto desistere, et obsidionem amovere; sternerat in summo arcis culmine duas statuas, unam caeci Isaac, alteram elandi Iacob, ut si David vellet propugnaculum decedere, imagines quae sacrum progenitorum necesse esset prostrerent, et confringeret; statuasque haec epigraphen affixerat: *Non audebis laevare caecum, nec elandam.* Noverat Christus, quantum mandus statuarum culpam multitudinem iram Dei contra se ipsum provocatur foret, itaque idecirco, ut ipsum a divini furoris faculis, et sagittis protegeret, antequam a nobis discederet iterum ad Patrem, reliquit in arce, et propugnaculo Sion, id est, in Ecclesia catholica, duas pretiosissimas pacis statuas, consecratae hostiae circulo inclusas, unam suae divinae personae vivam Patris imaginem, alteram sacrae suae humanitatis, quae figura inter omnes creatas magis Deum exprimit; ut cum Deus vellet iclus insulae suae indignationis dirigere adversus homines, harum duarum imaginum Verbi divini, et humanitatis Christi placabilis, et grati aspectus brachium eius ad vultus intentum retineret, et gladium iustitiae suae in vaginam clementiae, et benignitatis recondere. Sed et magis apparet divini huius sacrificii dignitas, et virtus, placet in memoriam: vivus revocare verba Moysis illa praecipientis (*Exod. 29*): *Offeres tolum arctem in incensum super altare: oblatio est Dominus odor suavissimus victimas Domini.* Immolabis super altare arctem incensum, quoniam cum odorem habet sacrificii, quod Christus se ipsum offerens immolaturus est, magnam Deo offert suavitatem; quae tanta fuit, et tam grata Deo eius odor, ut ei attribuerit Moyses foedus, quo post diluivum cum hominibus pepigit (*Gen. 8*): *Odoratus est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra maledicam terrae, id est, cum primum Noe fecit Deo sacrificium, et per illud percepit Deus odorem; exiniamque fragrantiam sacrificii, quod hodie in Ecclesia habemus; illico iram deposuit, coepitque miserece.* Omnia tam

naturae, quam scriptae legis sacrificia erant signa, sive, ut in Levitico scribitur, memoriale odoris, qui nunc per hoc sacrificium Deo exhibetur suavissimus, ut eo percipito, ira Dei placaretur: quod indicat verba Levitici: *Ponet memoriale super altare in odorem suavisimum Domino*. Ad quod allusisse videtur Gregorius, de antiquis Patribus ita loquens: *Quod illi odorati sunt expectando, hoc nos comedendo, et percipiendo satiamur*. Idemque insinuat Bernardus (*ser. 4. sup. Cant.*): *Nondum speciem suam ille flos agrum induerat, et iam dabat odorem suum, quando hoc praesens spiritus Patriarcha caligans visus, sed odoratu sagax*. Ac si dicat: nondum carnem nostram assumpsit, nec speciebus sacramentalibus se Christus velaverat, et iam antiqui Patres eius suavitatem perciperant, ut constat ex Patriarcha Isaiae, dicente: *Ecco odor fidei mei sicut odor agrum pleni*: hoc est, agri fertilis, et pleni pane, ac vino. Haec enim est agri vera fertilitas, cum panis, et vini abundantia animum reddat fertile, sicut eorum inopia, et sterilitas infocundum, quantum visis illis terrae fructibus abundet. Tandem magnus pater Dionysius (*de div. nomina*) considerans, quantum praeteritis temporibus bonus Christi odor se diffusisset, et quantum quoque futuris temporibus esset diffundendus, appellavit Christum virum odoriferum: *Scimus augustissimum Iesum supersubstantialiter odoriferum esse*. Nunc ad scopum nostrum. Si praesens sacrificium divini huius sacrificii odor per antiquorum sacrificia figuratus, satis erat ad elementiam Dei conciliandam, et eius sedandam indignationem; quid praestabit ipsimum sacrificium iam praesens, per quod non in aliena, sed in propria substantia Christus immolatur? Sed insurgit hoc in loco difficultas, cui satisfacere necesse est: nam si Deo antiqua sacrificia placebant propter huius novi sacrificii odorem, quomodo Propheta regius dixit (*Psal. 50*): *Quoniam si voluisses sacrificium, delisset atque, holocaustis non delectaberis*. Cui dubio aliquot recentiores scriptores, ut satisfaciunt, respondent, Davidem propheticos protendendo suae mentis oculos ad hanc legis gratiae felicissimam aetatem dixisse aliquando fore tempus, in quo sacrificia, quae tunc offerebantur, Deum non delectarent; non tamen dixisse, illis sacrificiis tunc non fuisse delectatum. Sed non convenit haec interpretatio. Nam si remedium quaerebat David, ut ad praesens Deum sibi conciliaret, idque sacrificiis eius temporis fieri poterat, imprudenter certe foret abstinere ab illorum oblatione, quoniam futuris temporibus nullam essent habitura virtutem: sicut insipientis esset, qui habens in prompta pharmacum novum, et bonum, renuere illud accipere, quoniam lapsu temporis inoleverat vim suam amittere deberet. Quomobrem hanc expositionem missam faciens, triplicem praedictis Davidicis verbis, et difficultati propositae convenientem apponam explicationem. Prima est, antiqua sacrificia, etsi utilia ad abolendos aliquos defectus, seu deformitates, et pro peccatis minus gravioribus forent; non tamen pro peccatis atrocibus, et maximis: ideoque cum peccata Davidis gravis-

sima essent, ut pole adulterium, et homicidium; vere dixit non satis illa esse, ut Deus sibi peccati admissi gravitatem condonaret, sed opus ad id esse gravi animi dolore, et cordis contritione; atque ita subiunxit (*ibid.*): *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, et humilitatum Deus non despicies*. Secunda expositio Tielmanni, et Insenii est, ascendentium antiqua sacrificia posse dupliciter considerari, vel secundum illorum naturam, vel secundum significationem, qua Christi tunc crucentum, quam incrementum sacrificium representabant. Hoc ultimo modo si considerentur, utilia erant, et sub praecepto; aliter vero nullam afferbant utilitatem; atque ita de illis secundum naturam suam consideratis dixit David: *Holocaustis non delectaberis*. Tertia declaratio sumitur a comparatione: nam si antiqua sacrificia cum sacrificiis legis gratiae conferantur, umbra fuerunt, et egea elementa, ut dixit Apostolus. Eisi enim verum est, omnibus, qui olim iustificabantur, sanguinem Christi anticipale, et fide futurae redemptionis suam communicasse virtutem; postquam laminae ipsa in cruce profusus fuit, longe aliter, quam tunc suum sortitur effectum. Ad quod declarandum iuvare potest commune Philosophorum dictum: *Ignis agit in omnem loci positionem, plus tamen iuvat directio, quam approximatio*. Idemque suo docet experientia; nam et terra pondere suo et gravitate tendit deorsum, aer latere perlat; ignis vero, ut diximus, agit in omnem loci positionem, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsumque; sed multo vehementius agit directus, quam ad latera, vel alio versus: Ad hunc modum Christi sanguis operatur, cuius tanta est efficacitas, ut plusquam ignis non solum agat in omnem loci positionem, sed et in omnem differentiam temporis: non enim tantum extenditur ad omnia loca, ut dixit Apostolus (*Coloss. 1*): *Pacificans per sanguinem crucis, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt*; sed ad omnia quoque tempora, praesentia; praeterita, et futura, ut significavit Ioannes, a quo fuit Christus appellatus (*Apoc. 5*): *Agnus occisus ab origine mundi*: quoniam Christi sanguis effusus post amorem quinque millia, coepit ab ipsa mundi creatione esse fructuosus. Verum est, sacrificia legis scripiae, quoniam iam Christi sanguis magis appropriabat, suo modo virtutem sanguinis Christi magis participasse; id tamen notabile cum differentia, si cum sacramentis, et sacrificiis evangelicae legis conferantur: horum enim virtus, et efficacia tanquam igitur recto tendit tramite, atque ideo vehementior; sed in sacrificiis antiquae legis veniebat fluctans in latera, et quasi retrocedens; ob idque languidior, et imbecillior illorum erat vis. Unde ausus est dicere Propheta illis sacrificiis praee hoc, quod nunc in Ecclesia est, Deum non fuisse delectatum: *Holocaustis non delectaberis*. Hinc idem Propheta nostri sacrificii excellentiam agnoscens vocavit sacrificium iustitiae, iuxta Ambrosii expositionem (*in Psal. 50*); idque iure optimo; nam si, ut dixit Augustinus, sacrificium altaris idem est, quod Christus immolavit in cruce, *semel immolatus est in semetipso, et tamen*

quotidie immolatur in sacramento, sicut illud fuit iustitiae sacrificium, per quod Christus ex omni rigore iustitiae Patri suo satisfecit pro mundi peccatis; ita quoque, quod nunc in Ecclesia immolatur, iustitiae sacrificium est: quod genus satisfactionis, et solutionis tam exactum est debito, immo et illud excedens, ut iustitiam superet, quae apud inferos excoritur: quoniam praeterquam iuxta Theologorum unanimum doctrinam, Deus ille punit citra condignum, auferens poenae merita parlem, in Christi satisfactione non amovit, vel abstulit de facta conventionem solutionis animum solum flagrum, unam lacrymam, unumve suspirium. Scimus ex causis, ob quas damnatorum poenae sunt aeternae, esse unam, quod etsi plerumque tormenta, doloresque patiantur, nunquam illa permissio explore integre potest satisfactionem debitam peccatis, quae in vita patravertunt; Christi vero solutio, et satisfactio ita fuit perfecta, et omnibus numeris absoluta, ut infinito intervallo debitum excesserit. Unde cum haec satisfactio nobis per hoc sacrificium altaris applicetur, merito illud Propheta vocat, *iustitiae sacrificium*; per quod peculiari quodam modo Christi merita cum fiant nostra, aeterno Patri ex rigore iustitiae satisfacimus: quod prout sacramentum, illud accipientes nos facit suos, et quatenus sacrificium, fit nostrum, ut bonis suis, et facultatibus facere Deo satis pro debitis nostris valeamus. Ad quod alludunt verba Christi, dicentis (*Ioan. 6*): *In me manet, et ego in eo*: ac si dicat: per Sacramentum mihi communicatum facio meum, et per sacrificium facit me ipse sum. Ex quibus omnibus infero, tanta huius sacrificii existente praesentia, et sanctitate, pariter quoque esse oportere magnam, et singularem illud ministrantium, et accipientium puritatem: quam praesignificavit, quod legitur de Davide, et eius famulis, qui cum vexati fame venissent ad Achimelech sacerdotem, et ab eo petissent panes propositionis, huius divini sacrificii figuram, ille respondit (*1. Reg. 21*): *Si mendis aut pueri isti; etc.* Hanc ergo munditiam, ac vitae integritatem exigit Deus ab huius sacrificii ministris, idque praeeceperat per Isaiaem (*c. 1*): *Mundi estote, qui fertis vasa Domini*; ad quam significandam puritatem iubebat Deus in ipso templi introitu esse pilam aqua plenam cum speculis, ut accedentes sacerdotes, aqua lavarentur, et accedentes sacerdotes, vocavit eos angelos per Malachiam: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, quia angelus Domini exercituum est*. Memini me legisse apud Clementem Alexandrinum, super portam templi Epidauri scriptam:

Esse decet castum sancti qui lumen templi
Ingrreditur.

Si ergo templum falsi numinis ingressurus integer vilae, et scleris purus esse debet; qui
CARTHAGENA DE SS. Trinit. et Christ. Dom.—Vol. IV.

carnem, et sanguinem veri Dei facturus, et tractaturus est, multo integrior, et candidior accedat oportet. Si Nabuchodonosor, ut refert Daniel, adolecentes mensae suae assidentes, pane quem rex mandabat, et vino, quod bibebat, sustentandos, pulchros, et sine aliqua labe delectos esse volebat: *La quibus nulla esset macula, decoros forma*; quid mirum, si Deus convivas suos, et carnem Filii sui manducatos, et bibituros sanguinem, purissimos, et castissimos esse praecipiat? Si labia Isaiae purgavit, et purificavit Cherub igne prunarum, quoniam ille ore suo sumpturas erat, et praedicaturus Dei verbum; quae mandatis eius necessaria ad ore, animoque sumendum ipsum Dei Verbum non praedicatum, sed carne vestitum, et sacramento velatum? Magnus Ecclesiae doctor Hieronymus graviter ferens dispositionis huius defectum, quod improbi multi suo tempore laborabant, ait: *Quisquis fueris, quatuor cum labiis his Filium Dei oscularis, quibus osculatus es labia meretricis? O Iuda, Filium hominis osculo tradis? ad quem etiam scopam dirigere possumus Apostoli verba (*Rom. 8*) scribentis: Omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc; quod videlicet eis abulantur peccatores. Sol videtur dolere, quod malis quasi cogatur praebere lumen, ignis calorem, aer refrigerationem, terra sustentaculum, et alimentum. Quare si res omnes creatae iniuriam sibi fieri putant, et clamant, atque queruntur propter malum usum; in quem illas vertit peccator; quomodo panis, et vini species consecratae, et in peccato sumptae non clamabunt? quomodo caro, et sanguis Christi illis inclusus non queretur? quomodo vita humana, et divina Filii Dei, quae sub hoc sacramento in forma cibi est, non expostulabit ultionem? Non dubito, quin, si sanguis Abel super terram effusus iudicem contra impium Cain petebat, multo efficacius Christi sanguis infra peccatores sacrum mali sacerdotem, medio hoc sacramento profusus, illam flagitabit. Deus pro immensa bonitate sua nobis oculos aperiat, et mentem illuminet ad pure ac sancte divinum hoc Sacramentum tractandum, et sacrificium offerendum, ut ex nostro ministerio redundet magna in Ecclesiam utilitas, et summa laus in eius auctorem Christum Dominum Iesum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*